

Oratio Prochytae (anno 1991) habita a CLAUDIO FIEVET, ex Vniversitate Palensi.

**QVEMADMODVM VSVS SERMONIS LATINI IN SCHOLA VIAM AD LEGENDVM
PLANIOREM BREVIOREMQUE APERIRE POSSIT.**

Quoniam in principio hoc fieri oportet, breui quid illud sit de quo disputem explanabo. Id uobis uelim exponere quod longiore iam docendi usu uideor explorasse. Conabor ergo illustrare quemadmodum et qua condicione usus sermonis Latini in schola uiam ad legendum planiorem et breuiorem facere possit: hic enim est titulus quem orationi meae dedi. Verum non in hoc tantum loquar ut quae ego expertus sim patefaciam, idque ob has causas: quod experimentum seiunctum a doctrina rationeue qua sustentatur uix probandum esse uidetur, quod doctrina et ipsa reciprocatione quadam mutatur et innutritur experimento, denique quod non ad noua experienda inductus essem, nisi causas perpendissem cur uetera essent reicienda. Quas ob causas, priusquam ad usum experimentumque meum ueniam, mihi liceat rem totam aliquamdiu amplecti ratione.

1. Ex ueteribus docendi methodis discipulos fructus consequi nimis exiles.

Nihil profecto esset cur hoc in loco congregati operam uocemque consociaremus ad ueteres docendi uias uituperandas nouasque inquirendas, si eae rationes quibus lingua Latina tradi solet quantum pollicentur praestarent. Nunc uero multo pauciora efficere uidentur quam ut in controuersiam eas deducere non liceat. Cum enim linguarum uiuarum praeceptores plerique per hos uiginti annos nouas atque efficaciores docendi rationes assidue experirentur, magistris contra linguarum antiquarum, uel consuetudinis obstrictis, agnoscendum est non eandem fuisse curam innouandi, exceptis tamen perpaucis qui tamquam exploratores irrepserunt in castra hodiernos sermones docentium - non dico "hostium", sed quosdam noui quibus sic uidetur - armaque eorum diligenter inspexerunt, ut similia, quantum fieri posset, sibi conficerent. Tametsi non admodum defuerunt qui solitario quodam ac singulari conatu rationes linguae Latinae docendae ad meliorem effectum emendare niterentur, in plerisque tamen gymnasiis atque uniuersitatibus studiorum lingua Latina hodie etiam immutatis docetur rationibus. Quarum fructus tenues, etsi omnibus satis patent, hic tamen breuiter commemorari non est admodum inutile.

His enim ex docendi rationibus fit ut plerique discipuli gymnasio relicto ad uniuersitatem studiorum accedentes, si textus Latinus uel simplicissimo sermone iis ante oculos proponitur, se legendo nullum arripere posse sensum confitentur; neque illam inscitiam intellegendi conqueruntur acrius, cum mentibus eorum iam pridem haec opinio infixata sit, omnem sententiam Latinam esse quasi aenigma artissime implicatum. Quod aenigma ut enodent, non lectionem ut oporteret iterum iterumque renouant, sed tamquam caligantes qui in se nihil habent luminis, auxilium

lexici alicuius grauis inuocant praecipites, in quo manu infatigabili significationes singulorum uocabulorum inquirunt atque eorum quidem quae frequentissime usurpantur; quin etiam ea spe tacita saepius mouentur se fauente fortuna aliquem locum conuersum nacturos esse; adeo pauore quodam strangulantur ne sub omni uocabulo Latino sibi infelicibus lateat plaga. Ac, dum sic agunt, ex obscuris aliquando obscuriora fiunt.

Quisnam igitur miretur ex Latine discendo discipulos nullam capere uoluptatem? Immo illis taedio uenit lingua ipsa, cui frustra studuisse sibi uidentur, quoniam non possunt quin sentiant pro tot annorum sudore quam arida donentur mercedula? Nam per studiorum cursum totum hoc sibi ita persuaserunt, linguam Latinam ceterarum omnium adeo dissimilem esse, ut nulli usui esse posset neque ad loquendum neque ad legendum. Non est ergo permirum si plerique, neque ii quidem incuriosi - segnitiam enim adulescentiae temporumque horum iniquitatem incusare facilius est uia - linguam Latinam natura sua admodum singularem esse iudicant, immo quasi monstrum linguae a sensu communi longe remotae, ita ut dubitent fuerintne olim Romani qui eam adhiberent ut inter se cogitata communicarent.

Hanc autem singularem naturam difficultatemque eximiam sermonis Latini, quamquam fama imperiosa diuulgata est, nemo serio adfirmare audeat, cum per tot saecula homines, tamquam hac aetate lingua Anglica, in usum communem eum sermonem adhibere soliti sint. Neque enim aequum est linguae Latinae ipsi ea uitia dari crimini quae rationibus ad eam tradendam adhibitis multo iustius adscribenda uidentur. Nempe nullius linguae quisquam merito dixerit se adeptum esse scientiam qui ea uti nesciat; quare de sermone Latino quis sentiat secus? Nonne illi potius ueteris methodi fautores a sensu communi singulariter discedunt, cum iudicant qui legendo - quae una est uia scripta intellegendi maxime naturalis - nequeant sensum arripere ullum, eosdem satis fecisse Latineque scire? Hoc in iudicio, ut uerum loquar, inest fraus nonnulla. At enim fortasse dicent quidam adulescentulos nisi pauca ex iis postulando in studiis Latinis non posse retineri. Quod totum contra est: sic enim optimi cuiusque studium debilitatur atque ex lingua Latina se auertit quisquis ex quouis sermone discendo iure maiora exspectat.

2. Facultatem uere legendi imprimis esse expetendam.

Ad facultatem legendi imprimis esse spectandum censeo, propterea quod inter omnes fere constat opera esse Latina summorum auctorum ad quae nisi legentibus nullus sit aditus, eundem uero consensum inter doctos non uidemus de ceteris sermonis antiqui usurpationibus. Non ignoro complures esse - et sine dubio hic praesentes - qui excelsius uolare gestientes linguam Latinam in loco uiui sermonis restituere feruenter studeant. Mihi quidem interdum libet in sententiam illam ire, etsi uerendum est ne discipulorum nostrorum maior pars semitam adeo incertam ingredi grauetur. Verumtamen, ut aperte loquar, non hunc finem ex usu sermonis Latini in schola praecipue expeto,

sed alia commoda quae mox latius dicam. At illorum tamen audaciorum alas propositi mei humilitate circumcidere nollem!

Cum ergo intra terminos quod quaero circumscripserim, nunc mihi uideor dicturus effici posse ut Latine discentes eam quam prospicimus legendi facultatem assequantur, dummodo magistri, hebetibus telis depositis, nouo atque audaci animo uelint radicitus considerare ad quem finem sermo Latinus tradendus sit quibusque uis ad eum finem prius constitutum accedi possit.

Harum quaestionum ad priorem breuibus uerbis respondebo, ut postea omittatur. Quamquam enim oratio mea ad alteram magis pertinet, non alienum uidetur hic paulisper commorari, quoniam quo quisque eat prius prospicere debet quam eodem secum alios attrahat. Ac, licet fremant quidam, simpliciter aperiā quod sentio. Ne discipulos nostros hortemur ut Latine discant, quia lingua Latina nescio qua indole propria mentis exercendae ratio sit eximia; nullam enim tantam uideo uirtutem, nec discipuli quidem, in exercitatione exercitationis tantum causa. Ne admoneantur ad Latine discendum quia sermone nostro ex illo orto summa reuerentia parenti praestanda sit, ut sua lingua scite uti possint: non desunt qui Francogallice et haud dubie Italice quoque eleganter loquantur scribantque qui Latine nesciant. Haec enim argumenta, quamlibet uera, non tamen eius generis mihi uidentur quae linguam Latinam faciant maxime necessariam. Ad hoc contra nobis necesse est Latine scire, ut cum aliqua delectatione animi scripta Latina legamus, quorum pulchritudines et thesauri nisi Latine legentibus suo cum uero colore patere non possunt.

His dictis, quoniam duas proposui quaestiones, in altera iam parumper consistere oportet, non ut continuo illas docendi uias singillatim explorem, quod paulo post faciam, sed tantum ut breuiter generatimque indicem unde profectus sim quibusque cogitationibus in hac inuestigatione studium meum et altum et directum sit. Methodos docendi quae ad sermones uiuos adhibentur plus pollere nemo negauerit. Id si ita est, quin ex iis, nisi forte nouitatem expauescamus, in commodum nostrum quam plurima arcessamus? Multae enim rationes docendi inde depromi possunt, quae nimirum non quales assumuntur religiose sequendae sunt, sed potius ad utilitatem propriam sermonis Latini, quantum necesse est, accommodandae. Altera autem ex parte, cur qui Latinum sermonem docent iis commoditatibus diutius abstineant quae a doctis illis recentioribus in linguistica quam structuralem uocant uersatis allatae sunt, cum omnibus constet artem uiuarum linguarum docendarum illorum inuentis quasi nouo impetu roboreue auctam esse? Illis enim in indagationibus linguisticis aliquid certe inest, unde rationes sermonis Latini docendi nouo lumine instructae plus proficiant.

3. Quemadmodum occasio methodi audio-oralis experiendae oblata sit.

Cum autem haec argumenta similiaque mente agitarem, mihi olim artem docendi ineunti data est occasio ut quae cogitassem usu probarem, haud dubius quin experimentum cum in omnibus rebus tum in docendo plus ualeret quam omnia praecepta. Hic ergo oportet quale mihi sit munus in

Vniuersate studiorum exponam, at breuibus tantum uerbis, ne rebus singulis ad cursum studiorum Francogalliae peculiarem pertinentibus animos uestros diutius obtundere uidear.

Mihi iam multos annos committuntur Latine instituenda genera scholasticorum duo: alteris enim in superiore cursu studiorum, id est in gymnasio, per quattuor uel quinque annos sermo Latinus traditus est, alteri uero eius sermonis ne unam quidem uocem unquam audierunt. Omnibus quidem recte cogitantibus consentaneum uideretur illos tam dispari doctrina ornatos separatim institui: sic enim primo tempore factum est. At, cum tirones quibus secundum methodum nouam, quae, ut planius loquar, audio-oralis appellanda est, sermo Latinus tradebatur adeo progrediebantur ut post paucos tantum menses in exercitationibus uariis ueteranos superarent, ab omnibus et discentibus et docentibus mirabili quodam consensu constitutum est ut in utrosque instituendos eadem rationes docendi adhiberentur, ita ut iis etiam qui studia Latina persequebantur, cum incipientibus in eadem classe mixtis, daretur ut toto cursu a primis elementis redintegrato ad solidiorem linguae intellegentiam accedere possent.

Ad quam methodum audio-oralem suscipiendam mihi addiderunt animum maximoque incitamento fuerunt magistri illi qui primum in Britannia, dein in Confoederatis Ciuitatibus Americae ad nouas uias peruestigandas experiendasque operam nauauerunt. Inter quos antesignanos certe se praebent professores Peckett et Munday: illi enim in huius saeculi media parte, duobus libris ad usum puerulorum, qui libri "Principia" et "Pseudolus noster"¹ inscribuntur, methodum directam uel naturalem in Latinum sermonem adhibuerunt. Illa in methodo directa, quae ob hanc ipsam causam sic nominatur, usus sermonis patrii inter linguam alienam et discentem numquam intercedit ac diligenter deuitandus est. Multo uero nobis tempore propiorem professorem illum Americanum Waldo Sweet grato animo commemorem oportet, qui princeps, ad Latinum sermonem tradendum, methodum linguistica structurali fundatam in lumen prodidit, multis insuper ac recentissimis opibus didacticis exhibitis, cum ille non solum taeniis magneticis uerum etiam pelliculis sonantibus uteretur². Ex multis ab illo sociisque eius editis, eo opere quod inscribitur "Latin : a structural approach"³ uel Latine "Ad Latinum accessus structuralis" non negauerim mihi operam maxime fultam ac roboratam esse.

Illis enim decessoribus qui incessui nostro iter aperuerunt quantam merentur gratiam persoluere debeo. Ob hoc praecipue iis magna laus est tribuenda, quod rationes docendi analyticas e sede sua acriter excusserunt et confidenter respuerunt. Illorum enim auctoritate haec sententia, quam admirabile est non euidencia ipsa illustriorem tamdiu uisam esse, ualde confirmata est, linguam Latinam pro lingua esse habendam et ut linguam tradendam; quod praeceptum nobis diligenter tenendum esse censeo, neque ab eo declinandum.

4. Quibus de causis uetus docendi methodus usui sermonis repugnet.

a) De uitio eius methodi quae analytica dicitur.

Methodus autem docendi quam analyticam dixi ab eo quod nobis proposuimus abhorret; nam cum sententia accurate discinditur et in partes minutissimas summa diligentia consecatur, quae scriptor ad cogitationem enuntiandam una eademque mentis contentione in unum coniunxit et conglobauit, ea dirumpuntur et distrahuntur; atque ex hoc discessu ipso consequitur ut cogitatio euanescat dissoluta. Nam in omni sententia plus inesse liquet quam summam omnium uerborum e quibus constat, ita ut ex additione uerborum aliquid desit, quae est cogitationis quasi conexio et constitutio. Est enim natura uis cogitationis ita generata ut ea non singulis addendis uerbis fiat, sed copulatione et concretione complurum uerborum, quae simul cum rebus uno mentis amplexu comprehenduntur. Methodus ergo analytica, cum quemadmodum in mente pariatu formeturque cogitatio nimis neglegat atque iter praecipiat a cogitationis conformatione admodum diuersum, nequaquam idonea est habenda quae id perficiat, ut discipuli, dum legunt, simul intellegant. Ceterum ne legunt quidem, quia illa non est uere lectio dicenda, si qui legit uocabula aliud ex alio cumulat tamquam seriem uocum inaniter sonantium neque cum significatione sua cohaerentium.

b) De incommodis translationis

Translationi uero, quam uetus methodus quasi fundamentum alterum habet, hoc obiciendum est, quod operae temporisque maiorem partem consumit animosque discentium ab ea lingua quae cognoscenda est sine profectu ullo deflectit ad difficultates soluendas quae in eo sermone obstant in quem transfertur. Ac praeterea hoc exercitio asperitatis summae, licet a magistris sermonis Latini persaepe iactetur, aliquanto absurdus est animos adulescentium studia Latina ineuntium tam diu retineri, praesertim cum plerisque sermonis unde uertunt scientia sit nulla et sermonis patrii, in quem uertunt, peritia saepius tenuis atque incerta uideatur.

Hic mihi liceat illud uerbum Andreae Martinet referre, professoris illius in linguistica praestantis; quod uerbum utcumque conuerto: "in transferendo, inquit, sententia completa ex integro recogitatur", ut in uestitum alterius sermonis commigret. Si uerum est quod ille dicit, sententias plenas, non uerba transferri posse, discipuli nostri scilicet in hac arte conuertendi proficere non poterunt quin prius Latine cogitata Latine comprehendere assuefacti sint. Re autem uera, cum discipuli non postquam intellexerunt sed ut intellegant ex Latino conuertere soleant, non est quod miremur ex hac exercitatione praepostera saepius gigni monstruosa. Illam uero transferendi artem, quae haud scio an ex omnibus artibus linguisticis difficillima sit, dignissimam quidem existimo quam animo intendamus, at a primo gradu studiorum ad extremum differendam placet, ut hac nobili decorentur corona qui utriusque linguae notitiam satis compleuerint. Quod clare percepisse uidentur linguarum uiuarum magistri, qui hanc exercitationem ut inutilem exagitant ex libris manualibus ad usum incipientium sustulerunt.

Sed - quod etiam grauius est damnum - dum translatione notiones apprehendere student, discipuli attendere impediuntur quemadmodum in Latino ipso struatur significatio; nam inter discentem et structuras alienae linguae utique intericiuntur sermonis patrii structurae, quibus peruerse inter se adsimulatis permixtisque necessario fit ut systema syntacticum sermonis Latini tamquam integumento quodam opertum nec quale est conspiciatur. Translatione itaque ad grammaticae notitiam non celeriore gradu acceditur, sed multo tardiore. Quas omnes ob causas methodi ueteres acriter aspernandae mihi uidentur: quia enim contra flumen, ut ita dicam, remigant, neque ad uere legendum ducunt neque ad praesentem efficacemque notitiam grammaticae.

5. Qua mentis supellectile discipulus exornandus sit, ut uere legat.

a) De uocabulis comparandis.

Vt nunc uero ad facultatem uere legendi reuertamur, primum inspiciendum est quibus opibus uel instrumentis suo quisque in sermone patrio exornatus sit, ut quaecumque legat aut audiat simul significant. Hac in mentis supellectile esse uideo duo: quorum unum est uocabulorum scientia, alterum earum legum intima scientia quibus haec uocabula ad unitatem significationemque sententiae inter se concatenentur. Quam scientiam duplicem quisquis ab infantia naturali progressu patrium discit sermonem simul sibi parat, at hic argumentandi causa oportet seiungatur.

Ad eam uocabulorum ubertatem gradatim adipiscendam, quae, si infra duo milia est, ad auctores legendos non satis ualet, haec princeps est condicio, ut discipuli primis studiorum annis lexico uti acriter uententur; itaque lexicon ab omnibus exercitationibus nostris uehementer prohibetur. Neque indices quidem uocabulorum discipulis imponendi sunt, ut ea cum eorum translatione memoriae inculcent ad nauseam; quod exercitium non solum fastidiosum est, uerum etiam sterile: nam, cum permulta uerba alio in loco aliud significant, uis eorum in cursu orationis fluentis et uiuentis percipi debet; nescio enim, ut pauca sumam exempla, quemadmodum haec uocabula ui multiplici, ut puta "rationem", "consilium", quorum significationes quamlibet uariae in Latino ipso consociantur, in sermonem alium simpliciter transferri possint. Vt hunc quem de uocabulis comparandis nobis proposuimus finem consequamur, prouidendum ergo erit ut discentes tempore quam minimo Latina quam plurima attrectent; ad quod assequendum quanta sint commoda methodi audio-oralis paulo post uidebimus.

b) De grammatica intima et de consuetudinibus syntacticis assequendis.

Ad eas autem leges iam transeamus quibus non cognitis orationis compages esse potest nulla, id est, ut planius eloquar, ad grammaticam. Has leges quisquis naturaliter suum sermonem didicit sensim assumpsit easque in intima mente impressit et condidit, ita ut suo quisque sermone uti possit et ad loquendum et ad loquentes intellegendos, etiam si ludum grammatici numquam

frequentauit. Ex quo nimirum docenti exoriuntur admirabiles angustiae. Nam eae leges quae tantum uigent ut omnes uel minima animi cultura instructi sententias non ante auditas extemplo intellegant forsitan uim tam praesentem atque efficientem habeant ob hanc causam ipsam quod in schola non sint traditae. Atque, ut paulo longius in argumentando procedamus, qui illis legibus recte simul et inscienter utuntur eas ratione patefacere persaepe omnino nequeunt, ita ut res tota in discrimine sit, quomodo qui alienam docent linguam eas magis perspicuas reddere possint ad illam, ut ita dicam, obscuram scientiam discentibus transfundendam.

Est ergo in omni lingua grammatica alterius generis, non qualis in libris manualibus describitur sed digna nihilominus cui nomen grammaticae imponatur, quam ex Anglico uertendo "intimam grammaticam" dixerim. Quam grammaticam non uere scientiam esse liquet, sed potius consummationem consuetudinum quas in dies annosque experimenta innumerabilia modo infirmata modo confirmata paulatim inscientibus nobis in mentem infixerunt. De tali uero grammatica hoc saltem nosse possumus, eam non in uocibus singulis et separatis uersari, sed ex sententiis totis et plenis pendere. Namque homines si dum loquuntur aut audiunt in singula uerba separatim intendere animum cogentur, mente distracta inter uoces et sensa - quae nisi amplioribus membris orationis exprimi non possunt - opera suffocati mutescerent aut surdescerent omnes. Similiterque, qui Latine uere legere cupiunt, ad hoc eos induci oportet, ut nullo spatio ad singula considerata sumpto totius sententiae significationem arripere consuescant.

6. Quales exercitationes huic methodo congruentes discipulis proponantur.

Hic commentationis nostrae atque his allatis argumentis illud praecipue colligitur, ut magistri tamquam pestem caueant ne discipuli membra orationis minora quam sententiam plenam et completam unquam tractent. Itaque ne eos adhortemur ut cura religiosa series illas morphologicas declinationum temporumque uerbalium ediscant. Quid enim prodest illos, quales inanium formularum cantatores, in modum psittacorum euomere mechanice? Hoc enim tantum refert utrum eas figuras in oratione uiua extemplo agnoscere iisque recte uti sciant necne; morphologia enim in syntaxi ipsa captari debet atque in hanc uniuersa est transuehenda. Ne ergo antecedit illa, sed ut ancillula pedisequa huic seruiat. Quod professori illi in linguistica praecellenti artisque linguarum docendarum peritissimo Luciano Tesnière assentior; qui quidem sagaci perspexit ingenio harum rationum peruersarum uitio linguas antiquas mortuas euadere⁴. Nam istiusmodi grammatica qua discipuli animus in contuendis formis exanimibus, in charta digestis, immotis seiunctisque a uiua oratione detinetur, iter ad ueras usurpationes linguae, id est ad loquendum et ad legendum, quod imprimis quaerimus, praecludit. Neque certe inutiles esse tabulas morphologicas affirmauerim; prosunt quidem, sed ea exceptione ut adhibeantur non ad res cognoscendas, sed ad ea ordinanda quae prius ex oratione uiua excerpta sint.

Praeceptoribus ergo linguae Latinae excogitandae sunt exercitationes plurimae, quibus natura propria quam ante dixi cogitationis orationisque uiuentis fideliter obseruetur. His in exercitationibus, quae structurales dicuntur, discipuli permultis sententiis simili structura e magistro prius auditis rogantur deinceps ut secundum hoc exemplum siue oraliter siue scriptione ad quaestiones respondeant, ut in sententia uoces deficientes suppleant, ut sententiam inchoatam congruenter compleant, ut porro hanc structuram syntacticam in illam commutent: sic enim casus, personae et tempora uerbalia uiuescentia utilius et fidelius in memoriam instillantur. Hae uero exercitationes omnibus magistris uiuarum linguarum notissima scilicet multiplicari debent; atque eo fecundiores et uberiores sunt quo magister ad fingendum aptior. Ex his exercitationibus pluriformibus aliquot attuli exempla, quae, si uobis libuerit, ostendere potero. Est autem uidendum - quod obiter dicere mihi liceat - ut in initio praecipue nimis puerilia deuitentur resque omnes semper uerisimiles sint, ut post mortem mentiatur Winston Churchill ille, qui, cum studia sua Latina recordaretur, nihil aliud se audisse iocose adfirmabat nisi "de reginis quibusdam quae insulas amarent".

Hanc uero uocabulorum copiam hasque consuetudines syntacticas ut discipuli celeriter assequantur, persuasum habeo nullam methodum fecundiozem esse quam methodum audio-oralem. Hoc enim methodus audio-oralis commodius et uelocius consequi potest, propterea quod discipulus uelit nolit (quod tamen libenti fert animo) fluctum magistri loquentis imbibere cogitur, quem neque sistere neque reprimere potest, quia oratio temporis subicitur et tamquam tempus ipsum, quod malo cum nostro satis scimus, semper in unam regionem defluit. Sic discipuli filum orationis concidere deterrentur, plenas sententias animo complecti assuescunt, ex quo paratiores fiunt ad Latine uere legendum. Vocabula praeterea semper resurgentia, ut necessario fit in uiuo sermone, multo altius imprimuntur: nam uox latina, quae bis uel ter in anno in textu uertendo reperta est, in tenebras memoriae statim labitur, illa uero quae millies audita est in perpetuum infixata permanet.

Quam ob rem illam antiquissimam exercitationem restituere mihi uisum est, quam antiqui magistri ipsi "praelectionem" uocabant. Simul ac primum fieri potest, textus Latinos Latine explano enarroque: a principio facilia ad usum incipientium aptata nimirum proponuntur, dein per gradus quosdam ad textus a scriptoribus uere Latinis compositos transire licet, quod per euangelia et auctores mediaeuales quasi ponte quodam expeditius fieri potest⁵. Nam haec scripta, quia multis in locis ad res simplices et cotidianas pertinent, intellectu multo facilia sunt ideoque tironibus gratiora. Denique scilicet ad auctores aureae latinitatis pergatur, qui soli in extremo cursu proponuntur.

Ceterum, qualiacumque sunt scripta explananda, huius exercitationis similis est ratio, quae omnis haec est: discipulis ante oculos offertur textus quem antea non cognouerunt. Magister ergo sententias singulas praelegit: uniuscuiusque sententiae significatio multiplici accessu uariisque circuitibus circumuenitur, mutando ignota uocabula in notiora, mutando etiam difficiliore structuras in planiores, atque id quotiens necesse est ut patefiat sententia. Quo confecto ad

sequentem transire licet, dum significatio totius textus compleatur. Hoc etiam confecto, magister uno tenore uocis textum totum a primo ad extremum legere potest. Neque opus est dicere, ut puto, ab exercitatione id genus usum sermonis patrii prohiberi: omnia enim Latine explicantur. Quemadmodum, rogauerit quis, magister explorare potest utrum discipuli penitus textum intellexerint an superficiem tantum perstrinxerint?

Ad hoc quoque exercitationes pluriformes excogitandae sunt: a scholasticis meis soleo petere ut post lectionem ad quaestiones Latine respondeant siue oraliter siue scriptione, ut ubicumque qua spina grammaticalis locatur de his omnibus difficultatibus commentario morphosyntactico reddendo suam intellegentiam scripti comprobent. Atque etiam interdum ex iis petitur ut e textu aut paraphrasim aut saepius summarium efficiant, hoc textu Latine nimirum breuiando uel ad dimidiam uel tertiam partem siue mutatis siue non mutatis uocabulis; multae enim sunt uiae translatione quodam modo tutiores quibus magister certior fiat quatenus res perceptae sint.

7. Rationes docendi audio-orales nouo conspectu rerum grammaticalium roborandas esse.

At enim haec omnia, dicit quis fortasse, paulo pulchrius disserta uidentur quam ut fiat fides iter ad summos auctores legendos omnibus uepibus reuera esse extricatum. Vt ex ea immersione linguistica fructus commodaque solida depromuntur, ita contra, fateor, aliquanto simplicioris animi esset ab ea exspectare ut omnes complanentur asperitates. Huius quidem immersionis beneficio sarcina lexicalis locupletatur, uelocitas in sermone intellegendo acuitur, quae non mediocres sunt res, sed ingens semper erit hiatus inter sermonem humilem et cotidianum quem, quantum possumus, loquendo usurpamus et illa opera antiquorum summa arte elaborata. Cum autem ad illa opera legenda et intellegenda neque alio tendat propositum nostrum, hoc unum mihi uidetur esse perfugium, ut discipuli ad leges syntaxis cognoscendas ratione et ordine instituantur. In hoc enim peccare uidentur sectatores quidam methodorum directarum, quod spei fallaci facilius acquiescunt huius institutionis ordinatae aliquod effugium esse posse.

Qua in re mihi sumo ut adfirmem plerisque libris grammaticalibus ad usum discipulorum aliquatenus esse diffidendum. Nam ex discipulis gymnasiis egredientibus talique adiumento munitis nemo fere percepit quomodo innumerabiles illae uoces ex radice Kw conformatae, exempli gratia "qui", "ut", "ubi", "cum" ceteraeque, auxiliantibus quibusdam particulis ad significationem uariandam, iis qui Latine cogitarent inter se concinne et responderent et confligarent. Neque ab iisdem quidem clare aspectum est omnes illas uoces in totum cohaerere atque ex iis constare systema, quod syntaxis Latinae quasi fundamentum est. Cuius systematis tamen nisi Latini uel inscientes possedissent leges, pro re explorata est habendum illos suo sermone uti non potuisse. Hoc autem systema subuersum ac diuulsum discipulis saepe praebet, perraro quale est. Nam cum eadem systematis unitas in sermone nostro non reperiatur et quae in Latino arto uinculo et

formae et sensus conexas apparent alia in alia capitula grammaticalia distributa noscantur, necessario fit ut systema occultetur totum. Ea enim quae dixi opera grammaticalia id potius agunt ut translatoris operam adiuuent quam leges morphosyntacticas intra Latinum ipsum dilucidant. Vnde consequitur ut discipuli quid sit simile exempli gratia inter "utcumque" et "quicumque", inter "quisque" et "ubique" uidere nequeant. Vnde consequitur etiam ut relatiua aduerbia "utut" uel "undeunde" legentes in portentosa incurrisse sibi uideantur, cum interim significationes harum uocum, si possent cum "quisquis" eas mente conferre, fabricationis ipsa similitudine extemplo elucerent. Vnde fit ut, quotiens in coniunctionem "cum" incidunt, statim paene innumerabiles modos huius coniunctionis in Francogallicum transferendae alium ex alio temptent, idque priusquam sententiam uniuersam intellegere curauerint. Nam hanc coniunctionem in compluribus capitulis libri sui accurate discretis inuenerunt, atque ideo inducuntur ut putent significationis discrimen quod in sermone suo tantum uideatur tantumdem fuisse Latinis ipsis, cum reuera iis nullum esset qui eadem uoce uterentur. Haec enim quaestio, quantalibet in nostro sermone uideatur, in Latino ipso inanis est: quod enim nos delectu coniunctionis signamus, Latini ibidem non poterant, atque igitur hoc discrimen, si est, alibi est quaerendum.

Vnum iam tantum addam: ad gerundium uel propositionem relatiuam antepositam (Kw...is/t..) intellegendam, discipuli frequenter monentur ut commutando ordine orationis eas structuras ad similitudinem nostri sermonis quasi per uim redigant, ut si Latina in animum non essent accipienda nisi nostrae linguae specie induta. Hae autem docendi rationes rectae et plenae intellegentiae syntaxis Latinae ualde repugnant; nam dum discipuli ad falsum Latinum ut intercessorem confugiunt, in periculum ueniunt ne uerum umquam intellegant. Haec contra nobis semper erit norma: in omni lingua suo quidque in loco est et structuras quales sunt, non quales eas esse uelimus, oportet et accipere et describere. Illud igitur permagni interest, ut magistri descriptionem quoque rerum grammaticalium renouent atque etiam huic descriptioni renouatae congruentes fingant exercitationes; ad quod efficiendum, quantum in me est, aliquantulum operae studiique contuli, at de hoc incepto hic longius disserere alienum uidetur, quia haec res quasi technica multa requirit exempla multumque temporis neque, fatendum est, facile Latine tractari potest.

Hanc ergo summam, quoniam est concludendum, argumentatione mea firmasse exoptauerim. Methodus audio-oralis, qua ad copiam uocabulorum consuetudinesque linguisticas comparandas, ut mea fert sententia, nulla plus ualet, planiorem quidem breuioremque uiam discipulis aperit ad legendos auctores; at in hac uia insidiae non desunt, ad quas superandas ex grammatica

consilium est petendum. Grammatica uero, quamuis scienter describatur, non est lingua ipsa sed nil aliud quam oratio super lingua siue adeo supra linguam, nisi quaecumque ratione acquiruntur frequenti usu ex scientia transfigurantur in sollertiam. Si ergo illas duas ad Latinum accedendi uias, inter se specie abhorrentes sed re auxiliantes, eadem diligentia sequemur, fortasse affulgere poterit spes lucidior discipulos nostros auctores Latinos lecturos atque ex illis delectationem animi nonnullam esse capturos.

ANNOTATIONES

1) C.W.E. PECKETT et A.R. MUNDAY, *Principia et Pseudolus Noster, A Beginner's Latin Course*; edidit Wilding and son, Shrewsbury, 1949-1950. Qui libri ad rationes audiouisuales adaptati sunt a Gerald ERICKSON (The Multi-sensory Approach to Latin Teaching; University of Minnesota, Minneapolis).

2) *Artes Latinae Program*, Encyclopaedia Britannica Educational Corporation; Chicago, Illinois.

3) Waldo SWEET, Ruth Swan CRAIG, Gerda SELIGSON : *Latin, A Structural Approach*, The University of Michigan Press, 1957-1966.

4) L. TESNIERE, *Eléments de Syntaxe Structurale*, Paris, Klincksieck, 1959, capit.26, pag. 51.

5) Inter quos Sanctum Bonauenturam, Petrum Alfonsi, Odo de Cerinton aliosque permultos fabulatores medii aevi citauerim; quorum opera completa haud facile hodie reperiuntur, sed locos selectos ex quibusdam uoluminibus in Britannia editis haurire possumus; e.g. ex "*A Primer of Medieval Latin*", quem librum composuit Charles H. BEESON (University of Chicago) et ediderunt Bailey Brothers and Swinfen Ltd (Folkestone,1973) aut ex illo libro qui inscribitur "*Fons Perennis*", *An Anthology of Medieval Latin*, a Sidney MORRIS composito(G. Harrap, Londinii).
